

[4]. Tabernatores vero singuli cerevisiam coquentes vel coctam a dominis tam spiritualibus quam saecularibus ad propinandum recipientes, secundum itidem veterem morem et consuetudinem exactoribus exsolvere teneantur.

[5]. Item a medio vase vini alias *polkuffek*^j florenus triginta cum quadrantibus^j.

[6]. Item a *drehilink*^k sive Seremiensi vase vini duo floreni cum sexaginta quadrantibus solvendi.

[7]. Item a qualibet barili malmatici sive vini Italici unus *horth* cum septem ternariis.

[8]. A barili vero simplicis vini duo grossi cum duobus ternariis.

[9]. A medonis vase communi duo grossi cum duobus ternariis.

[10]. A cerevisia advectitia sive externa, ut Swidnicensia^l, Glogoviensia, Tessinensia^m, Bernoviensia et alia quacunquē a quolibet vase duo grossi.

[11]. Et quicumque non soluta prius exactione praefata cerevisiam, vinum, malmaticum, medonem et alium quemcunque potum ex praedictis vendere et propinare in fraudem huius constitutionis praesumpserit, totum illud in quo fraudem commisit seu committere voluit, irremissibiliter amittet et poenam nostram regiam, quotiens id fecerit, solvere teneatur.

[12]. Ad quodquidem tributum ducillare alias *czopowe* exigendum in civitatibus, quidem oppidis ac villis nostris liberis, capitaneos nostros in obligatis vero tenentarios constituimus, potestatemqueⁿ illis ita^o, ut superius scriptum est, facimus, ducillarem hanc contributionem exigendi et ad eam exigendam alios in locum suum sufficiens in oppidis vero civitatibus^p et villis consiliariorum nostrorum, tam spiritualium quam saecularium, qui pro se ad eam contributionem assensi nobis sunt. Ipsi illam per^q suos factores et exactores exigere atque fisco nostro ita exactam inferre bona fide tenebuntur.

[13]. Quamobrem omnibus et singulis cuiuscunque status et condicionis, tam nostris, quam consiliariorum nostrorum praedictorum, subditis interest mandamus, ut tributum hoc ducillare ita, ut superius scriptum est, per nos indictum in manus capitaneorum tenentiariorum et dominorum suorum aut eorum quos ipsi exactores constituerint, conferant. Capitaneos vero tenentarios hortamur ac mandamus, ut hanc operam suscipiant atque ad superius scriptam rationem ducillare hoc tributum exigant, in rebelles vero et huic constitutioni contravenientes pro recepto more animadvertant atque ad hoc tributum conferendum pro auctoritate sua adigant. Pro gratia nostra aliter non facturi. Datum Cracouiae in conventionē generali feria secunda ante festum sancti Mathiae Apostoli proxima^f, anno Domini millesimo quingentesimo quadragésimo sexto [22 II 1546], regni vero^s nostri quadragésimo. Ad mandatum Sacrae Maiestatis Regiae proprium.

II. LITTERAE RESTIUM

A. ^aLitterae restium primae^a

Sigismundus etc.^b Universis et singulis palatinis, castellanis, dignitariis, officialibus, terrigenis, nobilibus, advocatis, scultetis^c ceterisque cuiuscunque status, conditionis, praeceminētia^d subditis nostris, bona quaecunque terrestria, hereditaria et obligatoria possidentibus et ad expeditionem bellicam generalem de iure vel consuetudine regni nostri obligatis, sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam.

Magnifici, generosi, nobiles et famati, sincere nobis et fideles dilecti. In iis comitiis quae proxime^e Cracouiae habuimus summa cura laborabimus, ut publico omnium ordinum consensu

^j florenus cum triginta quadrantibus MK₂. ^k drelink MK₂. ^l Szwidnicensia MK₂. ^m Theszinsensia MK₂. ⁿ potestatem MK₂. ^o Brak w MK₂. ^p illis civitatibus MK₂. ^q pro MK₂. ^r Brak w MK₂. ^s Brak w MK₂.

^{a-a} Nagłówek wzięty jest z MK₂. W MK₁: Deinde litterae primarum restium quarum tenor est iste. W G. Sier.: Restium littere prime. ^b Sigismundus Dei gratia rex Poloniae etc., MK₂; Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, supremus dux Lythuanie, Russie, Prussie, Mazowie etc. dominus et heres G. Sier. ^c scultetis et civibus MK₂, G. Sier. ^d et praeceminētia MK₂, G. Sier. ^e proximis G. Sier.

certa aliqua ratio constitui potuisset, qua fines regni nostri ab hostium vi et potentia tuti essent, sed cum aliud decerni nihil potuerit, quam bellica generalis expeditio, nolentes, ut imparatos nos hostes oppriment, si quod omen Deus avertat regnum et dominia nostra invadere vellent. Mandamus vobis his primis restium litteris, ut ad istam ipsam expeditionem ab armis et equis et omnibus aliis rebus quae belli usus postulat bene parati sitis, ut ad quod tempus et ad quem locum iusserimus, tertiis restium litteris, sine omni mora veniatis. Interea tamen iudicia exerceri volumus, quoad tertiarum restium litterae missae a nobis fuerint. Has vero litteras nihil morando alter alteri viciniore perferendas curet, ultimus vero loci capitaneo eas remittat, sub gravi indignatione nostra et bonorum omnium confiscatione aliter non facturi. Datum Cracouiae IX Martii anno Domini MDXLVI [9 III 1546], regni vero nostri XL. Ad mandatum Sacrae Maiestatis Regiae proprium.

B. ^fSecundae litterae restium^f.

Sigismundus etc.^g Universis et singulis palatinis, castellanis, dignitariis, officialibus, terrigenis, nobilibus, advocatis, scultetis et civibus ceterisque cuiuscunque status, condicionis et praecminentiae subditis nostris, bona quaecunque terrestria hereditaria et obligatoria possidentibus et ad expeditionem bellicam generalem de iure vel consuetudine regni nostri obligatis, sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam.

Magnifici, generosi, nobiles et famati, sincere et fideles nobis dilecti. Mandavimus vobis antea primis restium litteris quandoquidem generalis bellica expeditio publico omnium ordinum regni consensu in proxime habitis comitiis in hunc annum decreta esset, ut ad eam expeditionem bene armati et instructi essetis. Nunc iterum de more hisce secundis litteris restium mandamus omnino habere volentes, ut equos arma et cetera ad bellum necessaria pro facultatibus vestris bene parata habeatis, ut cum tertio significaverimus nullam moram interponatis, sed ad eum locum quem tertiis restium litteris constitueremus, quo tempore iusserimus, sic uti decet instructi veniatis. Interim tamen iudicia de more peragi volumus, has vero litteras nostras nihil morando alter alteri viciniore perferendas curet. Ultimus vero loci capitaneo eas remittet, nec secus feceritis sub amissione bonorum. Datum Cracouiae ultima^h Aprilis, anno Domini MDXLVI [30 IV 1546], regni veroⁱ nostri XL. Ad mandatum Sacrae Maiestatis Regiae proprium.

III. EDICTUM DE MONETA^a

Quandoquidem^b ex multiplicata moneta plurimum ad regnum nostrum detrimenti pervenit^c, quae non aliunde multiplicata magis est, quam ex eo, quod illustris dominus Albertus Marchio Brandenburgensis in Prussia dux nepos noster charissimus, postquam ipsi cudere monetam desiimus, tot edictis et denuntiationibus nostris de sententia et consilio omnium regni nostri ordinum factis adduci non potuit, ut quam ad rem exemplo etiam nostro erat invitatus ab ea cudenda super sederet. Habita cum regni nostri consiliariis matura deliberatione quemadmodum provideri posset ne plus etiam deinceps ex hac tanta monetae multitudinae, quam summa propterea vilitas est consequuta regnum nostrum detrimenti caperet. Solam hanc rationem invenimus, ut edicto nostro caveremus, ne quis in posterum in regno nostro ea uti auderet, quoniam vero

^f^f Nagłówek wzięty jest z MK₂. W MK₁; Secundarum litterarum tenor est his etc. ^g Sigismundus, Dei gratia rex Poloniae etc. MK₂. ^h ultima die MK₂. ⁱ Brak w MK₂.

^a W MK₁ i MK₂ występuje pod nagłówkiem: Scheda aedicto de moneta inserta, po którym następuje królewskie polecenie ogłoszenia, skierowane do senatorów: Mittimus Sinceritati Tuae aedictum de illustrissimum dominorum Alberti in Prussia ducis et Ioannis Marchionum Brandenburgensium ac Frederici Legnicensis ducis moneta, quod ut Sinceritas Tua in templis, foris et aliis locis publicis civitatum, oppidorum et villarum praefecturae suae voce praeconis publicandum curet mandamus. ^b Poprzedzone nadpisanym: Et singulis litteris insertum edictum de moneta sub hac verborum forma (MK₁); Series aedicti (MK₂). ^c proveniat MK₂.